



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Illvstrivm Miracvlorvm Et Historiarvm Memorabilivm Lib. XII

Caesarius <Heisterbacensis>

Antverpiae, 1605

De Conuerso, qui communicaturus vidit Christum sanguinem suum quasi  
stillare in calicem, cap. 41.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13177**

*Bonum  
esse con-  
municari  
re.*

**I**N Claustro, cuius saepe memini, sicut mihi scripsit, quidam ex sacerdotibus domus eiusdem, in quadam solennitate natiuitatis Domini, fratres ad sacram communionem se praeprabant: cumque pacem iam accepturi post agnus Dei terrae, vt moris est, procumberent, vidit frater quidam puerum Iesum, non tamen quasi recenter natum, sed in cruce quasi passum, cuius omnia vulnera cruorem stillabant, quem tamen calix stans subter positus, totum recipiebat: unde frater ille tantis sumendis sacramentis se indignum reputans, ad superiora stalla diuertit, aliisque innuentibus vt procumberet, se non processurum signauit. Prima autem cantata, aliis ad capitulum exeuntibus, ipse ad orationem faciendam, vt quidam facere solent, diuertit, veniensque ad altare sanctae crucis, orationi intendit, & videbatur ei tempus breue, praeter deuotionis magnitudine. Cumque orationem protraheret, & abire tempus non sentiret, apparuit ei beata Dei genitrix, & alloqui eum dignata est: Cur, inquit, hodie sacrosanctum corpus & sanguinem dilecti filij mei non sumplisti? At ille, non ore, sed corde se indignum clamabat. Ad quod beata Virgo respondit: Tu te indignum cogitas, & quis paras tanta re dignus esse potest? Hanc igitur offensam tibi condonabo, sed vide ne de caetero simile feceris. Igitur cum orationi intentus, & confabulatione beatae Virginis delectatus, quasi in extasi raptus esset, tandem ad se rediit, & ad capitulum post alios occurrere festinabat. Ibat, & ecce occurrebant illi aliquanti fratres, sacra altaria circumeuntes, capitulum vero finitum erat: Ipse autem nesciens, & tempestiue ad capitulum occurrere existimans, adhuc orabat, sed subsequens monachus signum Tertiae pulsauit. Tunc demum intelligens, quae circa se gerebatur, se ab hac noxa illi ad absoluendum commisit, qui eum sic absentauerat.